Deus ab intrinseco, & ab æterno Dominus est creaturarum ità possibilium, ac existentium; quarè dictum Augustini verificatur tantùm de actuali dominio ex correspondentia servitutis exsurgente, ideoque cùm natura humana Christi non habeat in se illam excellentiam, maiestatem, ac bonitatem Dei, non meretur. Latriæ cultum. Si autem teneatur secundum, nempè Dei perfectiones per beneficia impensa creaturis esse rationes etiam huius cultus, adhuc minor argumenti est falsa, quia non sunt eiusmodi, ut rationes secundariæ, & meritoriæ, quatenus humanitati Christi, vel Christo, ut Homini competunt, sed solùm, ut primariæ, & principales rationes, quæ in solo Deo reperiuntur; & ideò inquit Doctor, quod Christus secundum naturam humanam, etsi fuit redemptor, non tamen secundum naturam illam principaliter effecit redemptionem, sed tota Trinitas; & ità salutem nobis dedit per redemptionem tantùm effecit meritoriè, & instrumentaliter ut Homo; non autem debetur summa reverentia ei, à quo non principaliter, sed secundariò habemus summum bonum; Tenet itaque Doctor utique partem negativam quæsiti, quod Christo, ut Redemptori meritoriè, vel ut causa secundaria redemptionis, non debetur cultus Latriæ, non tamen obrationem ab Amico insinuaram; sed quia vel sola excellentia, & summa Dei bonitas est ratio adorationis Latriæ iuxta primam viam; vel hæc eadem bonitas, ut causa primaria, & principalis redemptionis, non verò secundaria, & meritoria duntaxat iuxta alteram viam; Et rursus falsum est secundum Scotum, Christum de facto fuisse causam condignè meritoriam amissæ gratiæ per humanitatem; ut prædictam sola gratia habituali, quasi nihil ad talem condignitatem contulerit, gratia unionis; siquidem ex hac præcipuè dependet infinitas meriti, & satisfactionis Christi, ut constabit *disp. seq.* an verò pura creatura sine ratione unione prædita summitate gratiæ, qualem habuit Christus; potuerit pro nobis condignè satisfacere dicemus *disp.* 4.

QUÆSTIO DECIMA.

Quæ adoratio debeatur Imagini Christi.

237 NOmine Imaginis, vera rei, ac prototypi similitudo intelligitur, in quo imago differt ab Idolo, quod est falsa similitudo, ut latè Vasquez *disp.* 1. de Adoratione *c.* 1. 2. & 3. Dupliciter autem potest imago considerari, primò materialiter, & subjectivè, ut res quædam artificialis est ex materia ligni, vel auri constans, & figura; secundò formaliter, & repræsentativè, siquantum imago est, & actu exercet officium imaginis. Primo modo certum est apud Catholicos imagines Christi, vel Sanctorum nullo cultu esse dignas, quia ut sic sunt res quædam inanimes honoris, & cultus penitus incapaces; sed tantùm secundo modo, quo pacto componunt unum cum exemplari in esse repræsentativo, quia ut sic concipi nequeunt, nisi ut objectivè conjunctæ cum suo prototypo, ex quo, & imagine ipsa fit unum objectum actum adorationis adæquatè terminans. Et in hoc sensu Christi imagines, reliquorumque Sanctorum esse adorandas fidei dogma est contra Iconomachos in Sexta Synodo sessione septima quæ veritas iterum renovata, & confirmata fuit in Concil. Florentino in fine *sess.* 5. ac demum in Tridentino *sess.* 25. Quarè certum est, ac de Fide usum Sacrarum Imaginum licitum esse, ac laudabilem, ut ex earum aspectu fidelium animi excitentur, atque inflammentur tùm ad prototypa ipsa, quæ repræsentant colenda, & adoranda, tùm ad eorum actiones hæroicas imitandas, & gratias abinsidem impetrandas, ut discurrit Damascenus *l.* 4. *Fideic.* 17. & D. Bonavent. 3 *dist.* 9 *art.* 1. *q.* 2 quem in hac materia sequemur in omnibus, cùm Scotus de ea non agat.

238 Quoniam verò Concilia definiunt solùm adorandas, & colendas esse Imagines Christi, & Sanctorum, modum autem quo illæ sint adorandæ, & colendæ, non definiunt; orta est contentio inter Scholasticos de modo adorationis earum; & quia imago formaliter considerata per modum imaginis dupliciter adorari potest; primò ut nec ipsa sit ratio adorandi, nec term pus adorationis, sed signum tantùm rememorativum, quo excitatus Homo per affectum tendit in solum prototypum, tanquam in objectum integrum adorationis. Secundò, ut affectus adorantis non solùm tendat in prototypum, sed etiam in ipsam imaginem, tanquam in objectum partiale, minus tamen principale, & secundarium, quamvis ratio adorandi sit sola exemplaris excellentia, & sanctitas. Sed adhuc in hoc modo adorationis explicando est gravis controversia inter Vasquez, & Suarez, siquidem ille *disp.* 108. per totam docet non posse imaginem adorari, quin adoretur etiam exemplar ipsum in recto, imò itaut affectus interior solùm feratur in exemplar; Unde vult in adoratione plures actus intervenire, nam in primis, aliquis propter excellentiam propriam cognitam in Christo se illi submittit, deinde exhibet aliquam externam notam Illius interioris submissionis, nempè genuflexionem, capitis inclinationem, &c. dicit ergo submissionem internam nullo modo ferri ad imaginem, quia imago non est capax submissionis, sed tantùm ferur ad imaginem illa exterior nota, nempè genuflexio, vel inclinatio, quia licet non habeam submissionem internam imagini, ipsam tamen imagineni osculor; ipsique genuflecto propter excellentiam exemplaris, cui interiorem submissionem exhibeo. Suarez verò, & contra *disp.* 54. per totam non minus fusè, Tannerus *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 2. Cardinalis de Lugo *disp.* 36. *sect.* 3. Arriaga *disp.* 56. per totam; Amicus *disp.* 32. *sect.* 3. & alii Recentiores licet non negent posse adori eadem adoratione imaginem, & exemplar per modum unius, sicut adoratur purpura cum Rege, & humanitas Christi cum divinitate; volunt tamen imaginem posse simul cum exemplari ita eandem terminare adorationem, ut etiam interna submissio ad eam terminetur tanquod tàm exemplar, quàm imago terminent in recto, & per modum unius adorationem; Asserunt insuper posse aliquem actum adorationis ferri in recto ad imaginem, quin feratur in recto ad exemplar, sed solùm in obliquo, nam sicut potest amari medium propter finem, & diligi proximus propter Deum, quin finis, & Deus ametur in recto, sed tantùm in obliquo; sic etiam potest adorari imago in recto, non solùm per notam externam, sed etiam per actum internum propter exemplar, sine eo quod exemplar terminet actum externum, vel internum in recto, sed solùm in obliquo; in quo ultimo puncto Arriaga *disp.* 56 *cit. sect.* 7. ab aliis dissentit, dicens cum Vasquez, probabilius esse nunquam posse imaginem adorari, nisi simul adoretur, ut objectum formale, ipsum exemplar in recto.

239 Rursus est controversia, an imago cum imaginato, & exemplari adorari debeat eodem, & pari cultu, vel potius diverso, & inferiori; & hoc secundum quamplures affirmante, quia in Synodo 7. *cit. act.* 2. definitum est, imagimibus Christi deberi quidem adorationem, sed illam non esse Latriam, sed inferiorem, & ità proportionatim loquitur de Imaginibus Sanctorum, adeout imagines adorari debeant adoratione quadam inferiori, quam suum exemplar, quod tenet Faber *disp.* 22 *cap.* 6. Calpensis *disp.* 25. *sect.* 6. Suarez, Amicus *loc. cit.* & alii quamplures. Alii verò paucis primum affirmare videntur, quia enim tota ratio adorationis in imaginibus est excellentia exemplaris, ad quam dicunt habitudinem, sequitur quod si exemplar adoratur adoratione Latriæ absoluta, imago quoque adoranda erit adoratione Latriæ respectiva; si exemplar adoratur Hyperdulia, vel Dulia absoluta, imago pariter Hyperdulia, vel Dulia respectiva erit adoranda; Quæ quidem contentio inter Auctores concedentes affectum etiam interiorem, & voluntatem honorandi ferri in imaginem, cui parui momenti, & de solo nomine, ut videbimus: at cum Vasquez id negante, & asserente solam exteriorem notam adorationis in imaginem ferri; atque ob id minori, & inferiori adoratione coli, quàm exemplar, est contentio etiam de re.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Quæstionis Resolutio.

241 DIcendum Primò, nunquam imaginem posse licitè, & religiosè adorari, quin simul aliqua ratione adoretur exemplar; quod repræsentat. Hæc est communis inter Theologos, & convincitur ex verbis Conciliorum, quæ à Recentioribus latè referuntur, in quibus cultus imaginis dicitur esse magis cultus exemplaris, quàm Imaginis; & expresse ex Tridentini *sess.* 25. ubi definit non esse Imagines adorandas propter aliquam virtutem, aut divinitatem in eis existentem illis verbis: *Sed quòniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, itaut per imagines, quas osculamur, & coram quibus procumbimus, Christum adoramus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur* quod etiam confirmat auctoritate Nicænæ Synodi; si autem possent imagines per se, ut integrum adorationis obiectum coli, exemplari non adorato, ut proximo adorationis termino, ac ratione adorandi, sequeretur eas coli, propter aliquam virtutem in eis existentem, contrà allatam Concilii definitionem. Confirmatur ratione, quia imago sine ordine ad exemplar non est adorationis capax; ergo licitè adorari nequit, quin simul aliqua ratione adoretur exemplar, quod repræsentat; assumptum probatur, quia imago sine ordine ad exemplar non est natura intellectualis, atque ideò adorationis non est capax. Demum, imago rei, quæ nullo honore est digna, licitè adorari non potest, non alia ratione, nisi quia res repræsentata nullam habet excellentiam, ratione cuius possit illi se prudenter submittere; ergo nisi aliquo modo res repræsentata adoretur, imago licitè adorari non potest; & hac ratione adoratio Imaginum dici soler respectiva, non absoluta, quia nimirum non adorantur, nisi per respectum ad id quod repræsentant. Undè non satis mihi probatur, quod ait Faber *disp.* 22. *cit. n.* 50. imaginem se sola sine exemplari posse adorari, & esse adorationis terminum quia licet imago non adoretur propter se, sed semper adoretur exemplar, potest tamen adorari sine exemplari; Hoc inquam, non mihi probatur, nam ex hoc ipso, quod imago non adoratur propter se, sed semper exemplar, potius oppositum ded uci debet, quod sine ordine ad exemplar nunquam licitè potest adorari, etiamsi adoratio ista diceretur inferior illa, qua adoratur exemplar; Et hoc ipsum docet ipse quoque Faber *n.* 48. dùm ex eo probat Imaginem esse adorandam adoratione respectiva, quia in se non habet rationem ullam excellentiæ propriam, cùm sit res mortua; ergo illi non deberur adoratio absoluta, sed in ordine ad exemplatum, & repræsentatum, cujus excellentia in imagine veneratur: est tamen adoratio propriè, non abusivè; quia adoratio terminatur ad illam, tanquam ad obiectum materiale, licet non terminetur ad illam propter se, sed propter aliud, sicut licet diligamus media propter finem, volumus tamen verè, & propriè media, licet in ordine ad finem. Hæc ibi Faber, quod nihil clarus dicere poterat pro assertione posita.

242 Secundò Dicendum est, posse eodem adorationis actu simul imaginem, & exemplar attingi per modum unius adæquati, & totalis obiecti, itaut exemplar, cum imagine constituat unum in esse repræsentati. Hæc etiam com nunis est inter Scholasticos, & valde conformis Conciliis, & Patribus, ut Suarez ostendit ubi suprà sect. 4. inter quos præsertim Athanasius lib. 4. contrà Arianos paulò poit ab initio egregiè hanc obiectivam unitatem inter imaginem; & imaginatum expressit, quod etiam refertur, & approbatur à Synodo Nicæna iam allegata actione quarta, dum inquit, *quandoquidem in imagine species Regis, & forma apparet, & in in Rege imaginis species, si quis post conspectam imaginem, velit Regem videre, fuit ad hunc modum imago iure loqueretur, Ego Rex unum sumus, ego enim in illo sum, & ille in me, & quod in me animadvertis, id quoque in eo animadvertes, & quod videris in illo videris in me,* ex quo eandem concludit Athanasius, *qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, cum ipsa imago nil aliud sit, quàm Regis forma, & species.* Deinde probatur ratione, nam ex Aristot. 2. de Reminiscentia idem morus est in imagine, ut imago est, & in rem, cuius est imago; & est id, quod SS. Patres dicunt; honorem imaginis ad prototypum, & exemplar tendere; cùm enim imago, sit essentialiter expressio, & similitudo sui exemplaris, nequit obiici intellectui absque habitudine ad suum exemplar, ergo idem actus adorationis fertur in imaginem, qua imago est, & in prototypum. Denique probatur exemplo superius allato de Rege, & purpura passim ab Auctoribus adducto, nam sicut eodem actu adoratur persona Regis, & eius purpura, ita eodem actu adoratur exemplar, & eius imago; nam sicut persona Regis facit unum in esse vestiti cum purpura, ita exemplar constituit unum in esse repræsentati cum imagine.

Cardinalis de Lugo ubi suprà *sect.* 5. *num.* 63. & 64. esto hanc 243
conclusionem absolutè defendat, addit tamen de facto nunquam hoc modo imaginem adorari cum exemplari, nempè utrumque simul in recto per modum unius aggregati ex imagine, & exemplari, sicut colitur aggregatum ex Regie & eius purpura, quia non facilè apprehendimus unum, quasi complexum ex imagine, & exemplari, sicut ex Rege, & purpura; ratio est, quia licet inter ea, quæ localiter, aut alio modo sunt coniuncta, ut purpura cum Rege, fieri soleat una repræsentatio utriusque per modum unius obiecti, seù complexi; attamen in his, quæ omninò sunt inter se physicè separata; ut imago, & exemplar, non solemus facilè ea in unum quid coniungere, cùm nullam inter hæc invenimus coniunctionem aliquam aptam ad faciendum tale compositum. Sed ex modò dictis satis constat hunc modum considerandi exemplar in imagine per modum unius non esse adeò difficilem; imò ipsemet superius num. 25. dixerat posse eundem actum adorationis simul terminari ad imaginem, & exemplar, & ad utrumque in recto, & per modum unius & hunc esse frequentem modum adorandi imagines; Neque ad talem considerationem exemplaris, & imaginis per modum unius, necessaria est inter illa aliqua localis, vel alia consimilis physica coniunctio, sicut est inter Regem, & purpuram; sed sufficit moralis coniunctio repræsentantis, & repræsentati; quarè sicut sufficit, quod purpura sit juxta Regem localiter, ut ex illa, & Rege unum quid apprehendatur; ita in proposito sufficere debet, quod imago moraliter sit ipsum exemplar, talis enim similitudo, quæ etiam suo modo physica est ob vultus, & faciei delineamenta, facit unam connexionem, & fortè maiorem, quam purpura cum Rege, quod sufficit, ut possint apprehendi per modum unius complexi adorabilis.

Quando autem idem actus adorationis terminatur simul ad imaginem, & exemplar, & ad utrumque in recto per modum unius adæquati, & totalis obiecti, tunc imago quoque terminat adorationem absolutam, undè si sic imago Christi, adoratur adoratione Latriæ, si verò sit Sanctorum, adoratione Duliæ; & ratio est, quia licet imago secundum se, quando colitur sola in recto, adoretur propter excellentiam alterius, nempè exemplaris, & ideò adoretur respectivè; quando tamen adoratur simul illud totum compositū ex exemplari, & imagine per modum unius, illud totum adoratur propter excellentiam, quam in se habet non propter aliud, & per consequens totum illud adoratione absoluta adoratur; ergo singulæ partes illius complexi terminant partialiter adorationem illam absolutam totius; atque ita imago, quæ est altera pars illius compositi, terminat partialiter adorationem absolutam.

Est tandem & alter adorationis modus, & fortè magis fre- 245
quens, in quo licet eodem actu simul adorentur imago, & exemplar; non tamen per modum unius adæquati, & totalis obiecti; sed potius distinctorum, in quo casu imago terminat tantùm adorationem respectivam, quæ est eius propria non verò absolutam; Fit autem, quando posteaquam imaginem cultu respectivo adoravimus propter exemplaris excellentiam, ad ipsum exemplar ulterius tendimus, ad quod imago nos ducit; adorando illud adoratione absoluta, ut obiectum ab imagine distinctum, propter excellentiam in ipso existentem. Ratio autem talis modi adorationis est quia sicut eodem actu respectivo voluntas fertur in medium, ut à fine distinctum & absoluto in ipsum finem, ut distinctum à medio, nam ad hoc sufficit habitudo unius ad aliud, ut possit unicus actus in duo distincta obiecta, etiam ut distincta, ferri; licet inviecem subordinata, ut dictum est *disp.* 7. *de Anima q.* 7. *art.* 1. ita non repugnat eodem actu ferri in imaginem, ut ab exemplari distinctam, cultu respectivo, & in ipsum exemplar, ut distinctum ab imagine, cultu absoluto.

Tertiò dicendum est, quod quamvis non possit adorari imago, 246
non adorato exemplari, non tamen necesse est, quod exemplar adoretur in recto, seù ut obiectum terminativum *Quod*, sed sufficit, quod adoretur in obliquo, seù ut obiectum *Quo*; Hæc est etiam communior in Schola apud Suarez, Lugo, Amicum, & alios *loc. cit.* Probatur: quando ratio formalis, propter quam potentia fertur in obiectum materiale, non est intrinseca, sed extrinseca obiecto, non necessariò potentia fertur in illam directè, ut in terminum *Quem* sui actus, quoniam ratio formalis est tantùm causa movens, & impellens potentiam ad actum, non terminans actum, atque ideò quando non est intrinseca obiecto, quod terminat actum, non necessariò erit terminus actus, licet sit causa movens, & impellens ad actum: Sed ratio formalis, ob quam voluntas adorationis affectu fertur in imaginem non est intrinseca, sed extrinseca imagini; est enim ipsa exemplaris excellentia, ob quam imaginem venerantur; ergo adorans imaginem ob exemplaris excellentiam non necessariò ipso adorationis affectu fertur in exemplar directè, tanquam in terminum *Quem*, Minor patet: Maior probatur variis exemplis; primò quidem in actibus intellectus, & pater de actu scientiæ, qui nititur præmissis, ut rationibus

assen-

assentiendi, quatenus non feratur directè in ipsas præmissas, tanquam in obiectum scientiæ, seu iudicatum per illum actum; sic etiam in actu fidei, quia auctoritas testificantis est extrinseca rei testificatæ, non necessariò qui assentitur veritatibus fidei propter auctoritatem testificantis ferri etiam debet eodem fidei assensu in ipsam testificantis auctoritatem, tanquam in obiectum. Deindè probatur etiam in actibus voluntatis, quia enim bonitas Dei est extrinseca creaturæ, minimè opus est, quando diligitur creatura propter Deum, ut actus dilectionis tendat in Deum, ut in obiectum. *Quod* proximè, & in recto dilectum; Idem patet de pura electione medii propter extrinsecum finem, quæ non directè versatur circà finem ipsum volendi; sed tantùm in obliquo ipsum respicit, tanquam rationem volendi media; sic ergò contingere poterit in proposito in adoratione imaginis propter exemplar, ut sola imago sit proximum obiectum, & terminus adorationis. *Qui* exemplar autem sola ratio remota, & propter quam, & solùm in obliquo adoratur; Atque ita planè contingit in secundo adorationis modo mox explicato *num.* 245. in quo prius cultu respectivo imaginem adoramus propter exemplaris excellentiam, & posteà ulterius tendimus in ipsum prototypum, illum adorando cultu absoluto propter excellentiam in ipso existentem, ut obiectum ab imagine distinctum; in hoc enim adorationis modo sola imago est proximum, & immediatum adorationis obiectum, exemplar verò mediatum, & remotum.

247 Respondet Arriaga *disp. 56. cit. num.* 7. magnum esse discrimen inter actum intellectus, & voluntatis; nam intellectus cùm ex unio obiecto transeat in alterum, potest immediate unum cognoscere, & ex eo alterum, ita tamen ut hunc secundum etiam verè cognoscat; ex quo facilè constat, quomodo intellectus possit dici unum cognoscere in recto, alterum in obliquo, quando, scilicet, unum cognoscit immediatè, alterum mediatè, & in illo priori, ut conclusionem in principiis, vel præmissis; At hæc doctrina in voluntate non habet locum, quia amor non est in eo sensu transitivus; undè etiam si ego amem rem, quæ dicit ordinem ex sentialiter ad illud, non est necesse ullo modo, ut ego amem illud aliud; quarè non videtur in voluntate esse ahus modus tangendi, quàm immediatè utrumque, unum, ut rationem formalem alterum verò materialem; utrumque tamen debet tangi ut quod & non potest propriè dici unum tangi in recto, aliud in obliquo nam illud, quod amatur, ut obiectum formale, haud dubie dici debet tangi in recto, cùm sit causa, ob quam amatur aliud obiectum.

248 At planè hoc discrimen inter actus intellectus, & voluntatis assignatum ex ipsis exemplis in argumento allatis evanescit; sicut enim intellectus cognoscendo potest ex uno obiecto transire in alterum, itaut unum immediatè cognoscat, alterum verò mediatè, & illo priori, ita pariter de voluntate suo modo dicendum est servata proportione, potest enim primò, & immediatè amare proximum propter Deum virtualiter amatum, & deindè transire ad amandum Deum formaliter propter seipsum, potest proximè, & immediatè amare medicinam propter sanitatem virtualiter amatam, & deindè transire ad amandum sanitatem formaliter propter seipsam; undè nullam ex hoc capite videò disparitatem inter actus intellectus, & voluntatis; Et in hoc ipso adorationis puncto patet ex secundo adorationis modo iam assignato, quomodo possit voluntas proximè, & immediatè imaginem adorare cultu respectivo ob excellentiam exemplaris, & posteà ulteriùs tendere in ipsum exemplar illud formaliter adorando propter excellentiam in ipso existentem cultu absoluto: quo quidem modo imago dicetur proximè, & immediatè adorari; exemplar verò remotè, & mediatè, hoc est, mediante imagine vel in ipsa imagine adorari; Quarè in hoc puncto non potest esse dissensio, nisi de nomine, vel de modo loquendi, quid intelligatur per illos terminos *in recto, & obliquo*, ut ipsemet Arriaga fatetur *disp. cit. n.* 85. undè non erat, cur de re tam levi adò acriter Vasquez, & Suarez inter se dimicarent, torque quinternos implerent.

248. Quartò Dicendum est, imagines non solùm esse adorandas cultu externo; osculo, genuflexione &c. Sed etiam cultu interno, itaut affectus internæ submissionis feratur quoque ad imaginem. Hæc est conclusio decisiva præcipuæ difficultatis huius controversiæ, an, scilicet, adoratio imaginis sit ille solus externus cultus osculi, genuflexionis &c. ut dicebat Vasquez, An verò sit etiam cultus internæ submissionis, quam imagini habemus; Ratio præcipua, & fundamentalis huius afferti est, quia cultus exterior sine intentione adorandi non est verè, & propriè adoratio; quarè si affectus ipse interior, & voluntas honorandi nunquam ad imaginem ferrur, sed adæquatè in solum exemplar, solum exemplar verè adorabitur, non imago, quod est contrà Concilia, & Patres docentes imagines esse verè, & propriè adorandas, & non abusivè tantùm, & impropriè; Vndè non immerito censet Arriaga sententiam Vasquez parum, vel nihil distare ab opinione Durandi; sicut enim Durando obiici solet, quod negare videatur Imaginum adorationem, quia negat adorationem terminari ad illas, & solùm concedit terminari ad exemplar, cuius recordamur, & quod adoramus ad præsentiam imaginis; sic pariter Vasquez eidem subiicitur censuræ; quia cùm cultus exterior sine intentione adorandi non sit adoratio, eo ipso quod negat affectum interiorem, & voluntatem honorandi ferri ad imagines, nec pariter adorationem terminari ad illas, & solùm concedit terminari ad exemplar, in quod solùm adæquatè fertur affectus internæ submissionis in eius sententia.

Respondet Vasquez hanc Vocem *Adoratio* multa significare, ac proinde posse etiam cultui externo attribui; atque notam exteriorem submissionis communi modo loquendi dici honorem, cultum, & adorationem eius, coram quo fit, hoc est ipsius imaginis, ac proinde meritò dici imagines adorari. Et cum dicebatur, cultum exteriorem sine intentione adorandi non esse veram adorationem, inquit, quod licet nullus sit affectus adorationis internus circà imaginem, adest tamen voluntas faciendi actum illum externum genuflexionis coram ea, quod ait sufficere, ne actus ille dicatur fieri sine intentione adorandi.

Sed hæc est mera evasio, quæ facilè præcluditur ex dictis ipsius; sæpè enim ipse dicit quod solus cultus exterior non est adoratio sine submissione, nec sola submissio interior sine cultu externo est essentialiter adoratio, & hoc sensu dicit nomen adorationis multa significare; ergo in hoc sensu adoratio multa significat, profectò vox illa soli externo cultui sine affectu interiori attribui non poterit, quia vox illa non ita ea plura significat ut in quolibet salvetur ratio totius; sed ita ea multa significat, ut non nisi in omnium collectione essentia illius salvetur. Tùm quia semel concesso, externam submissionem sine tali affectu non esse veram adorationem, ut ipse non semel concedit; plañè negando circa imagines talem affectum, eo ipso negat imagines adorari, etiam si admittat exemplaris adorationem; at Patres, & Concilia non solùm definiunt, & inculcant exemplaris adorationem, de qua nulla erat cum hæreticis controversia, sed directè ipsarum imaginum adorationem; Tùm quia si adoratio illa duo includit tanquam essentiales sui partes, scilicet, cultum externum cum affectu interno submissionis, si altera solùm terminaretur ad imagines, nempè actus externus, non diceretur imago propriè adorari, sicut non diceretur homo, qui animam haberet sine corpore, vel è contrà ut ergò imagines dicantur propriè adorari, non solum actum externum terminare debent, sed etiam submissionem internam.

Neque satisfaciat, quod addebatur, quod licet non adsit affectus internus submissionis circa imaginem, adest tamen voluntas faciendi actum externum cultus coram ea; nam etiam Durandus ipse id concedebat, est enim de se evidens, quod cùm ea figura fiant ab homine coram imagine, liberè fiunt atque ideò adest voluntas inter or ea faciendi; at verò talis volitio cum eis signis vocari adoratio non potest, nisi detur etiam interior submissio respectu imaginis; alioquin cùm quis osculando terram intendit adorare Deum, vel Eucharistiam, tunc etiam diceretur adorare terram, ut bene urget Suarez, quia tunc adest talis externa submissio, & humiliatio circà terram; Et licet concedat Vasquez *n.* 151. in eo casu adorari terram, veluti effectum Dei. Hoc tamen est omninò incredibile, quia simplices præsertim, & idiotæ nunquam de tali adoratione cogitant, neque ad eam rationem effectus recurrunt, nec ullo modo tunc terram adorare prætendunt; sed solum Deum, vel Eucharistiam; Cuius rei manifestum indicium est, quod multi, quando ex humiliatione coram Deo terram osculantur, soleant in ea signum Sanctæ Crucis formare, ut sic habeant ibi, quod venerentur. Confirmatur ex Lugo, quia si non datur interior submissio, etiam respectu imaginis, non potest dici genuflexionem, & cultum externum fieri imagini, sed potius fieri exemplari in imagine; ergò iam imago neque terminat adorationem internam, neque externam; consequentia patet: probatur assumptum, quæro enim quid sit genuflexionem fieri, seù exhiberi imagini; planè non est præcisè fieri coram imagine, nam etiam fit coram pariete; & non fit pariet; ergò erit fieri ex animo onorandi imaginem, hoc autem esse non potest, nisi procedat ex honorifica existimatione, & ex submissione interna, quam imagini habemus quare concludendum est cultum externum non exhiberi imagini sine interna submissione. Denique etiam in opposita sententia genuflexio illa externa est cultus imagini exhibitus, & oritur ex aliqua voluntate interna exhibendi talem cultum imagini; sed hæc ipsa voluntas est aliquis affectus internus submissionis; ergo iam talis affectus terminatur ad imaginem quoque, & non tantùm ad exemplar; minor probatur, quia illa volitio faciendi tales actus externos coram imaginem est affectus exercendi circà imaginem eos ipsos actus, quos exercere solemus circà superiores; ergo est affectus submittendi nos imagini.

Quam-

253 Quamvis autem Imagines propter se tali honore non sint dignæ, sunt tamen quateus ipsum exemplar repræsentant; ergo ex hoc capite, ut obiectum materiale terminare possunt etiam interiorem cultum, hoc est, potest voluntas dicere: *Volo verum honorem imaginum, quia ille est honor Dei*, & cùm exemplar quoque citrà controversiam honorare possimus, iam poterit voluntas uno actu dicere, *Volo honorare, & imagines propter Deum, & Deum propter se*, quod suprà *n.* 242. dicebamus esse adorare utrũque in recto uno actu, & utrumque adorari, ut Quod: Et sanè in illo priori modo adorationis ibi declarato non videtur posse negari, imaginem quoque nedùm actum externum adorationis terminare, sed etiã internum, quandò nempè exemplar, & imago adorantur per modum unius aggregati, & adæquati, ac totalis obiecti, nam sicut hac ratione cato Christi, qui a est pars illius totius, cui me submitto, terminat partialiter submissionem etiam internam, ut *q. praeced.* dictum est, sic etiam imago, cùm sit pars illius aggregati, cui per modum unius me submitto, debet terminare partialiter illam qu e quoque internam submissionem. Et ratio est, quia licet imago secundum se non habeat excellentiam propriam, ratione cujus possit ei fieri talis submissio: illud tamen totum aggregatum ex imagine, & exemplari verè habet talem excellentiam: nam licet sola imago non sit melius me, nec proindè, ut sic, talem mereatur adorationem, illud tamen totum aggregatum est melius me, & per consequens dignum, cui me submittam, ut notat D. Bonavent. cit. ad 2. ubi ait vivens esse nobilius non vivente nobilitate reali, non autem significationis, quia res parvi valoris rem nobilem significare potest.

254 Quintò tandem Dicendum, quod licet Imago, prout ab exemplari cont radistincta, terminet veram, & essentialem adorationem secundum totum, quod requiritur ad essentiam adorationis, illa tamen est inferior, & minor adoratione ipsius prototypi; non tamen in sensu Vasquez, quia scilicet à effectus interior submissionis non tendat ad imaginem, sed ad solùm exemplar. Hæc assertio quoad primam partem est Conciliorum, & Patrum docentium imagini non deberi tantam adorationem, quantam ipsi exemplari, & habetur in Synodo 7. cit. act. 2. cuius obvia est probatio, quia id, quod repræsentat alterum, non est tanto honore dignum, quanto id, quod repræsentat: undè etiam si Prorex honoretur, ut Regis personam, repræsentans, quia moraliter iudicatur, ac si esset ipse Rex, nihilominus non tanto honore iudicatur dignus, quanto est dignus ipse Rex in se: longè enim plus est incomparabiliter esse verè, & propriè Regem, quàm esse illius vices gerentem: ergò à pari, cùm in imaginem ex repræsentatione non possit excellentia summa derivari, quia hæc solùm reperitur, & manet in ipso exemplari: nunquam poterit imagini, ut ab exemplari contradistinctæ, tantus honor deferri, quantus debetur exemplari.

255 Quod verò id non debeat intelligi in sensu Vasquez, quia scilicet affectus interior submissionis non tendat ad imaginem, sed ad solùm exemplar, satis constat ex assertione præcedenti, quia Concilia, & Patres verum, & proprium animum colendi imagines concesserunt, & ideò non in eo solum sensu explicari possunt, quod affirmverint eas minus coli, & inferiori adoratione, quia nullus sit affectus interior eas colendi, hoc enim potius esset negare omninò eas coli, quam dicere minus coli, nam, ut suprà arguebamus, vel ille animus colendi est pars essentialiter constitutiva cultus, & adorationis, vel non: si primum, ergo eo omninò ablato circà imagines, iam omninò tolleretur earum adoratio, & cultus: si non, ergo ex eo, quod animus, & affectus ille non sit circà imaginem, non ritè infertur imaginem minus adorari, quàm exemplar, nam ablatio rei, quæ adorationem non constituit, nec etiam eandem minuere potest, sicut quia albedo hominem doctum non constituit, ablatio albedinis eius doctrinam minuere nequit; ut benè discurrit Arriaga *loc. cit.* Ratio ergo, cur adoratio imaginis, ut ab exemplari contradistinctæ, sit inferioris oratione prototypi, est quàm suprà dedimus, quia universaliter loquendo ea, quæ aliud repræsentant, nunquam tam digna sunt honore, quam illud, quod repræsentant; Tùm etiam quia aliud principium in Scholis famigeratum *propter quod unum quodque tale, & illud magis*, etiam in præsenti habet locum, nam obiectum materiale semper minus amatur, quàm formale, estò ametur per eundem actum; dum ergo voluntas amat cultum imaginis ob rationem cultus exemplaris, hic cultus est obiectum formale, ille verò materiale; undè consequens est, ut voluntas minus amet hunc cultum, quàm illum, ac proindè minus colat imagines, quàm exemplar.

256 Hinc est, quod adoratio imaginis dicitur respectiva, ut potè propter excellentiam alterius, ad quam dicit habitudinem; adoratio autem exemplaris dicitur absoluta, quia propter excellentiam propriam, & sibi intrinsecam, & non aliundè emendicatam; Undè alia est honestas adorationis absolutæ, quæ immediatè respicit excellentiam intrinsecam exemplaris; & alia est honestas adorationis respectivæ, quæ immediatè respicit denominationem illam extrinsecam excellentiæ in imagine proveniente ab excellentia intrinseca exemplaris, quæ denominatio licet in esse naturæ non sit aliquid reale: in esse tamen moris æstimatur aliquid, sed dependens ab excellentia exemplaris, sine qua nec esse, nec intelligi potest. Quarè quod communiter dici solet, quod si exemplar aduratur adoratione Latriæ absoluta, imago adoranda est adoratione Latriæ respectiva; & si exemplar adoratur Hyperdulia, vel Dulia absoluta, imago è contrà Hyperdulia, & Dulia respectiva est adoranda; hoc non ità intelligi debet, quasi quod adoratio imaginis, & exemplaris sint omninò eiusdem rationis, & gradus, quia adoratio respectiva à toto genere est inferioris ordinis adoratione absoluta, qua ratione dici solet istam divisionem esse æquivoci analogi in sua analogata, nã ei quod est simpliciter tale, & ei, quod est secundum quid tale nihil est commune univocum ex Scoto 1. *dist.* 29. *q. unic.* at persona intellectualis est simpliciter excellens, hoc est vera, & propria excellentia; res vero adorabilis adoratione respectiva est secundum quid excellens propter respectum ad personam, qui est respectus rationis, ac extrinseca denominatio, & quid moralè; sicut excellentia in communi non est univoca, nec adoratio in communi erit univoca, ut benè discurrit Bellutus *disp.* 159. *q.* 1. in fine; Solùm ergo ex eo communi loquendi modo potest inferri adorationem respectivam esse in quadam specie, quæ sit essentialiter subordinata speciei adorationis absolutæ; non verò quod sit ejusdem omninò rationis, & ordinis cum ea.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur objectiones contra statutas assertiones:

PRimò arguitur contra primam conclusionem; in qua diximus Imaginem non posse licite adorari, quin aliqua ratione adoretur exemplar; Sanctì licet habeant excellentiam participatam, ac dependentiam ab excellentia Divina sine qua nequit concipi, adhuc tamen adorari possunt adoratione absoluta, ergo qui colit imaginem propter excellentiam exemplaris, non est necesse quod per illum actum colat exemplar; consequentia tenet à pari; probatur assumptum, tum qui colit Sanctos propter gratiã & amicitiam Dei nõ est necesse, quod per illum actum colat Deũ. Confirmatur, quia licet honor Proregi exhibitus tandem in ipsum Regem refundatur, quem repræsentat; tamen Prorex ipse habet excellentiam, ac dignitatem distinctam, propter quam colitur, licet hæc ipsa dignitas dicat ordinem ad ipsum Regem; ergo pariter licet dignitas Imaginis ordinem dicat ad exemplar, dabitur tamen in imagine ipsa dignitas, ob quam immediatè coli possit. Denique Imago habet dignitatem aliquam distinctam à dignitate exemplaris, nam hoc, quod est repræsentare exemplar, est aliquid ab exemplari distinctum; ergo potest adorari imago propter propriam excellentiam ab excellentia exemplaris distinctam.

Respondeo negando consequentiam, vel paritatem, quia Sanctì sunt objectum adorationis adæquatum, cum sint illi, quibus cultus ille debatur, undè minimè opus est, quod honor ille referatur ab adorante in Deum, sed in ipsis Sanctis sistere potest, cum enim Sanctì sint personæ naturæ intellectualis dignitate præditi ius habent, ut propter se honorentur, & talis dignitas est ipsis intrinseca, & ideò sunt adorabiles adoratione absoluta. At verò Imago non potest terminare adorationem, tanquam is, cui debetur, vel cui solvitur debitus cultus, sed solum, tanquam obiectum, cuius cultus deberur alteri, nempe exemplari, cum enim sit res inanimata, quamvis ratio imaginis aliquam dicat dignitatem, hæc tameu dignitas non infert ius in imagine ad adorationem, quia non datur ius ad id in rebus inanimatis, sed totum ius est exemplari, ideò ejus adoratio ulterius progredi debet ad exemplar, & non nisi respectivam adorationem terminare potest.

Ad Confirmationem negatur etiam paritas, quia Prorex etiam quatenus à Rege distinctus, habet in se excellentiam quandam ab excellentia Regis distinctam, nempè ipsam Proregis dignitatem; quæ cum sit dignitas naturæ rationalis propria, talis est, propter quam possit homo se illi submittere, at tota dignitas, quæ est in imagine, quatenus exemplar repræsentat, cum non sit dignitas naturæ rationalis, neque sphæram excedat, aut capacitatem rei inanimatæ, non est talis, cui propter ipsam se debeat homo submittere, cuius dignitas est longè superior; & ideò nullam habet dignitatem, aut excellentiam, propter quam possit adorari, distinctam ab excellentia, & dignitate exemplaris. Ad ultimum patet per idem, & negatur assumptum, quod Imago habeat dignitatem aliquam distinctam à dignitate exemplaris, ob quam possit adorari; & licet hoc, quod est repræsentare exemplar sit aliquid ab exemplari distinctum, talis tamen dignitas, cum non sit naturæ rationalis, sed rei inanimatæ, sufficiens non est, cui propter ipsam se debeat homo submittere, cùm ipse sit dignitatis longè superioris;

quarè ut homo se submittat imagini, non debet attendere ad dignitatem imaginis propriam, qualis est repræsentatere exemplar, sed ad dignitatem ipsam exemplaris, & propter ipsam debet adorare imaginem.

259 Secundò arguitur contrà secundam conclusionem, in qua diximus posse eodem adorationis actu simul imaginem, & exemplar attingi per modum unius, & totalis obiecti, & tunc imaginem quoque adorationem absolutam terminare; Nam in Synodo 7. *cit.* sæpè dicitur, imaginem Christi non adorari Latria, sicut adoratur ipse Christus, sed quadam minori veneraria, seù honoraria adoratione, & ita præsertim habetur act. 2. post Epistolam Adriani. Deindè tantò minus poterit imago Christi adorari Latria absoluta, quoniam hæc est summus cultus soli Deo debitus; ergo non potest tribui imagini, quæ etiam, ut prototypum repræsentat, est quid creatum. Denique hoc totum nos quoque fatemur in ultima conclusione, quod eius adoratio sit minor, & inferior adoratione ipsius exemplaris.

260 Respondeo Concilium in illis locis non loqui de hac adoratione, qua imago coadoratur cum prototypo per modum unius totalis, & adæquati obiecti, sed de alio adorationis modo, ac magis frequenti *num.* 158. explicato, in quo vel diversis actibus, vel licet eodem actu adorentur simul imago, & exemplar, non tamen per modum unius adæquati, & totalis obiecti, sed potius distinctorum, in quo casu imago terminat adorationem tantùm respectivam, quæ est propriè ipsius, non verò absolutam; & in hoc sensu inquit imaginem Christi non adorari Latria, nempè absoluta, qua adoratur Christus ipse, sed respeva, quæ quia minor est, & inferior absoluta, venerationem appellat, & honorariam adorationem; Quarè sicut *quæst. præced.* diximus purpuram posse bifariam adorari cum Rege, primò itaut actus terminetur ad Regem, & ad purpuram, non tamen per modum unius, sed plurium, secundò itaut Rex, & purpura adorentur simul per modum unius compositi accidentalis; & primo modo diximus purpuram terminare inferiorem adorationem, quàm Regem; at secundò modo terminare æqualem quoad substantiam, quia ex parte obiecti voliti nullum cultum volumus Regi, quem non velimus purpuræ, dum est pars illius compositi, quod per modum totius colimus. Sic in proposito dicendum de cultu, quo imago, & exemplar adorantur per modum unius compositi accidentalis. Ad 2. concedo hoc adorationis modo imaginem terminare Latriam absolutam, quia tunc adoratur per modum unius cum exemplari propter excellentiam summam, quam illud totum in se habet, non propter aliud, ut explicatum est in probatione conclusionis; Sic adhuc notandum est, quod sicut purpura quando adoratur per modum unius cum Rege, licet terminet æqualem adorationem cum eo quoad substantiam, est tamen adhuc inæqualis quoad modum, quia Rex talem adorationem terminat per se primò, & principaliter, purpura verò secundariò tantùm, & concomitanter, & purpura non colitur propter excellentiam, quam in se habeat, sed propter excellentiam, quæ est in altera parte, nempe in Rege, & ideò potius dicitur purpura coadorari cum Rege, quam simpliciter adorari; sic in proposito dicendum, quod quando imago colitur per modum unius compositi cum exemplari in esse repræsentati, licet in tali casu terminet eandem adorationem Latriæ cum Christo, & æqualem quoad substantiam; hæc tamen adhuc est inæqualis, & inferior quoad modum, quia Christus talem Latriam absolutam terminat per se primò, & principaliter, & propter summam excellentiam, quam in se habet; imago verò secundariò tantùm, & concomitanter, & propter excellentiam alterius compartis; Et sic etiam explicandum est Concilium *loc. cit.* si dum negat adorationem Latriæ absolutam imagini Christi, loquatur de adoratione imaginis, quæ simul cum prototypo adoratur per modum unius; ut aliqui contendunt. Ad 3. in ultima conclusione sermo est de adoratione imaginis, prout ab exemplari contradistincta, non vero, ut cum eo constituit unum per modum accidentalis compositi, sicut loquimur in secunda conclusione.

261 Tertiò obiicitur contra tertiam conclusionem, in qua diximus, quod licet nequeat imago adorari sine exemplari, minimè tamen opus esse, quod semper Exemplar adoratetur in recto, seù ut obiectum terminativum *Quod*; Sed sufficit, quod adoretur in obliquo, seù ut obiectum *Quo*. Nam Concilia, & Patres, cùm docent, vel definiunt imagines esse adorandas, totam rationem, & modum huius adorationis in eo ponunt, quod exemplaria in eis adorantur, seù quod earum adoratio transit ad exemplaria; ergo absque hac transitione nulla est recta Imaginis adoratio; sit autem transitus ad exemplar, quando in illud dirigitur adoratio, tanquam in obiectum primariò adoratum, & ut Quod, tunc enim verè dicitur in imagine adorari; sic autem adoratur in recto, non in obliquo, & ut obiectum terminativum *Quod*, & non præcise *Quo*. Confirmat id Arriaga *n.* 18. nam dùm obiectum materiale amatur necessariò, etiam eodem actu amatur obiectum formale; atqui ratio cultus exemplaris est obiectum formale respectu cultus imaginis; ergò omnis amor cultus imaginis debet esse amor cultus exemplaris, uti omnis amor medicinæ est amor sanitatis.

Respondeo in Conciliis, & Patribus passim has locutione 262
reperiri, imagines honorari, & adorari propter exemplar; adorationem imaginis referri ad exemplar; per imaginem, & in imagine adorari exemplar; adorationem imaginis esse adorationem exemplaris, & consimiles, quæ eundem sensum reddunt, scilicet, non posse imaginem adorari omninò præcisam ab exemplari, seù exemplari nullatenus adorato; hoc autem totum verificari potest in utroque adorationis modo iam explicatis conclusione secunda; Primò quidem dirigendo adorationem, tam ad exemplar repræsentatum, quam ad imaginem in qua repræsentatur, ex utroque mente, & animo conficiendo unum obiectum adæquatum adorationis, ad quod per se terminetur, & sit adæquata materia, circa quam versetur adoratio ex intentione adorantis; in quo adorandi modo dubio procultàm imago, quàm exemplar, ambo attinguntur in recto, & ut Quod. Secundò autem dirigendo adorationem ad solam imaginem, tanquam ad rem per se adoratam, ad exemplar verò solùm, ut ad rationem adorandi; aliud enim est adorari per se, & aliud propter se, sicut & amari; nam medium in se, seù per se amatur, quamvis non propter se, sed propter finem; & in hoc sensu dicimus imaginem adorari in recto, & ut Quod, exemplar verò solùm in obliquo, & ut *Quo*, seù tanquam rationem adorandi, de quo loquendi modò tanè esse nequit, nisi contentio de nomine, ut dixi *num.* 148. alioquin in re non videtur, cur negari debeat talis adorationis modus, sicut enim in electione, & aliis actibus potest esse motus voluntatis in unam rem propter aliam, etiamsi directè non tendat in id, quod est ratio tendendi in aliud, tanquam in obiectum *Quod*, sed solùm quasi obliquè, ut in rationem tendendi; ita prorsus accidere potest in actu adorationis; nullam enim rationem adhuc vidi, cur hoc magis in actu adorationis repugnet, quàm in cæteris; Et ille transitus de adoratione imaginis ad exemplar bene ità fieri potest, ut sola imago sit proximum obiectum, & terminus adorationis; exemplar autem sola ratio remota, & propter quam. Ad Confirmationem concedo, quod dùm obiectum materiale amatur, amatur etiam formale, non tamen semper directè, vel in recto, sed sufficit, quod indirectè, & in obliquo, ac virtualiter, sicut licet homo apprehendat proximum, ut amabilem, propter Deum, non tamen oportet, ut actu, & formaliter consideret Deum esse amabilem propter se; sed satis est, quod virtute, & implicitè illud includat; sic pariter voluntas potest directè tendere, in eam rem, quæ propter aliam amabilis, vel honorabilis iudicatur, non tendendo directè in alteram, quæ est terminus illius habitudinis, sed tantùm obliquè, ut in rationem tendendi in aliam; & in hoc sensu quoque universaliter verum est, quod omnis cultus imaginis debet esse amor cultus exemplaris; neque circà hanc conclusionem esse potest contentio, nisi de nomine terminorum in recto, & in obliquo.

Quartò arguit Vasquez contrà quartam conclusionem, in 263
qua diximus imagines non solùm esse adorandas cultu externo, sed etiam cultu interno, adeoquod affectus internus submissionis feratur quoque ad imaginem; Et affert plurima Conciliorum, & SS. Patrum testimonia, quæ gratis omninò admittimus, cum non aliud probent, nisi non posse imaginem sine exemplari adorari, & *quod honor, qui imaginibus exhibetur, transit in exemplar*, quæ sunt formalia verba Tridentini *sess.* 15. & Synodi Septimæ, & aliorum Patrum, & potius nostræ fayent opinioni, quàm oppositæ, debere, scilicet, adesse interiorem intentionem colendi, & adorandi imagines, etenim si verus, & proprius honor, qui utique sine tali intentione interna non datur; illis quoque non exhibetur, incassum dicerent Concilia, & Patres earum honorem esse honorem exemplaris, & ad exemplar transire, certissimum enim est ad exemplar verum, & proprium honorem transire, non verò fictum, & simulatum; Neque Patres, & Concilia dixerunt unquam imagines non adorari immediatè actu interno, imò potius oppositum, siquidem Synodus 7. actione 4. reddens variorem, cur Imago debeat adorari, inquit, *Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum*, ubi Suarez, Lugo, & Arriaga, & alii notant illam coniunctionem *quoque*, quæ apertè supponit adorationem interiori, de qua ibi loquitur coniunctim cum externa, non adorari solùm exemplar, sed etiam Imaginem simul; Solùm ergo Concilia, & Patres intendunt imagines adorari non posse sine exemplari saltem in obliquo adorato; vel non adorari adorationè absoluta; sed merè respectiva, quæ inferioris ordinis est, adequod comparative loquendo possit dici non esse adorationem, si conferatur cum adoratione absoluta exemplaris.

Verum tamen est alia quædam Patrum testimonia adduci à 264
Vasquez, quæ aliquid amplius significare videntur, & probare

cultum illum, prout terminatur ad imaginem, non esse veram & completam adorationem, sed solùm prout ad exemplar terminatur; sic Athanas. in quæstionibus ad Anthiochum *qu.* 58. apud Damascenum orat. 3. de Imaginibus ait, nos imaginem adorare, sicut Iacob fastigium virgæ Ioseph. adoravit *non virgam ipsam adoratus; sed eum qui virgam tenebat*, & sicut populus Iudaicus olim legis tabulas, & duo Cherubini aureà adorabat *non lapides colens, sed Dominum*, & August. de doctrina Christiana *c. 9.* ait *non non hoc adorare, quod videmus, sed illud potius quò talia cuncta referenda sunt*, & similia testimonia, si intelliganur, ut verba sonant, nimis probant, nam veram, & propriam imaginum adorationem absolutè negare videntur: Cùm igitur certum sit ex plurimis aliis Conciliorum definitionibus verè, & propriè, imagines adorari debere; explicanda sunt ea testimonia iuxtà doctrinam traditam, quod non adoretur imago ultimò in ea sistendo, seù ut ratio formalis ultima, sed solùm sic adoretur exemplar; vel non adorari imagines adoratione absoluta, sed merè respectiva, quæ si conferatur cum adoratione absoluta exemplaris, comparativè dici potest non esse adorationem, cùm sit inferioris longè ordinis.

Fortius, & magis ad rem faciunt alia quædam Conciliorum, & Patrum testimonia docentium adorationem, prout fertur ad 265
imaginem, non esse adorationem *in spiritu*, sed tantùm, ut fertur ad exemplar, adeout solùm respectu illius dicatur esse actio animata, & in spiritu; ex quibus Vasquez *c. 14.* deducit hac adoratione in spiritu, hoc est secundum affectum internum submissionis, ut ipse explicat, imagines non adorari, licèt adorentur illa alia adoratione, quæ consistit in nota externa submissionis. Cæterum non hac ratione à Conciliis, & Patribus adoratio imaginis non appellatur adoratio in spiritu, quasi internus submissionis affectus nullatenus ad imaginem terminetur, sed ad solùm exemplar, ut Vasquez comminiscitur; sed ea ratione, quàm inuit Cardinalis de Lugo *sect. 3. num. 35.* quia nempè per notam adorationis externæ non habemus civilem, & domesticam communicationem cum imagine, hæc enim solùm potest haberi cum natura intellectuali rationis, & communicationis participe; sed est adoratio, & cultus quasi materialis, & inanimatus, sic enim imagini genuflectimus, ut per illam actionem nihil velimus imagini dicere, vel significare, sed soli exemplari, ad quod dirigitur ille actus, prout significatius, & prout civilis communicatio, & ideò solùm respectu illius videtur esse actio animata, & in spiritu; Quarè prædicta testimonia intelligi debent de adoratione in spiritu, seù absoluta, quæ sistit in ipsa re adorata, & cui solvit debitum cultum; non de adoratione respectiva, qualis est adoratio imaginis; quæ licet sit vera adoratio, & propria, ut Vasquez ipse fatetur, adeò tamen distat ab adoratione absoluta, ut si cum illa conferatur, videatur quasi non adoratio appellanda.

266 Quintò arguit Vasquez ad idem ratione; Affectus interior adorationis est affectus servitutis; sed nemo potest habere affectu serviendi imagini; ergò neque potest habere circà illam affectum intetiorem adorationis. Confirmatur, quia etiamsi in imaginem aliqua refundatur excellentia ex prototypo, non tamen illa est talis, ut propterea illa pictura sit absolutè melior me; ergo adhuc non redderur digna, ut illam ego adorem affectu internæ submissionis, quia omnis adoratio videtur essentialiter servi in maiorem ipso adorante. Tandem res adoreta debet habere ius, ut adorans se illi submittat, solvatque debitum; quod habet propter ius in illa reperum, & illi cedat, reputetque se inferiorem, quod si non efficit, iniuriam committit in rem adorandam: sed imago etiam, ut imago reduplicativè, non habet tale ius, quia est ut sic, res inanimata, nec homo prudenter fe potest illi submittere, nec in fe est ullo modo capax iniuriæ; ergo non est adorabilis immediatè interna adoratione.

Respondeo, argumentum etiam Vasquez urgere, cùm enim ipse non semel concedat externam submissionem sine tali affectu interno veram adorationem non esse, iam negando talem affectum submissionis, & servitutis circa imagines eo ipso negat imagines adorari: potest ergò negari maior, nempè affectum adorationis esse semper affectum servitutis propriè dictæ, nam quando animo alterum colendi, cedo illi locum meliorem in mensa, vel in via, non per id me protestor esse illius servum; quarè adoratio, ut sic, non est signum; nisi quod hic, & nunc maiorem ei deferro honorem, quam mihi; potest etiam negari minor, possum enim habere affectum serviendi imagini, non quasi talis effectus in ea sistat, ut in ultimo motivo, sed ut cultus illius transit ad exemplar. Sed instat Vasquez neque imaginem esse capacem adorationis, ut sic, quia nulla res inanimata, & irrationalis sine rationali est capax secundum se honoris, cultus, & submissionis, sed imago est res inanimata, & irrationalis; ergo &c. Maiorem probat, quia adoratio est nota animi submissi, & redentis; at homo nequit prudenter se submittere rei inanimatæ, nam quomodocunque accipiatur, non potest in se considerari, ut superior ipsi homini. Respondeo posse rei irrationali reverentia n, & submissionem deberi, licet non propter seipsam, quarè potest imago coli; non ut formale sed ut materiale obiectum, propter exemplar, itaut re vera imago ipsa adoretur, & collatur immediatè, & animus interior submissionis feratur in ipsam; Vndè ad argumentum neganda est maior, & ad probationem, dicendum, posse, hominem prudenter se submittere rei inanimatæ secundum se, licet non propter sed propter excellentiam exemplaris, quod in re aliud non est; quam dicere, exemplar ipsum in se esse dignum, quod honorifice tractetur, non solùm in se, sed in rebus omnibus, quæ cum ipso habent connexionem, qualis est vestis, imago &c. Quod sanè à nemine potest negari. Sed rursus instat, quia imago secundum se non est capax iniuriæ, unde qui male tractat equum alterius, non est equo iniurius, sed domino; ergo neque est capax honoris, nisi cum exemplari coniuncta, quia contrariorum eadem est ratio.

Respondeo neque ad urgere, quia nos quoque concedimus eodem actu debere, adorari exemplar, saltem in obliquo, quod sufficit, ut in honorato imaginis sit iniuria exemplaris; unde eò modo quo est capax honoris, dicimus quoque esse capacem iniuriæ, non ratione sui, sed ratione exemplaris, accipiendo iniuriam pro contemptu, nam illa vox *iniuria* ex vi nominis videtur denotare eam rem, cui fit, esse immediatè in se capacem rationis.

Ad Confirmationem rursus dico argumentum etiam Vasquez 268
urgere, nam ipse admittit hominem ut est imago viva Dei, posse verè, & propriè ab alio homine adorari; itaut affectus, & submissio interna verè ipsum respiciat, quia enim est imago viva Dei, habet excellentiam adorationis capacem, quantum est ex se; at per illam excellentiam non est unus homo altior, & maior altero, quia utèque est imago Dei viva, & eiusdem rationis; ergo iam in eius sententia exhibetur adoratio propria, & rigorosa in eo puncto, in quo homo adoratus non est ullo modo maior adorante; & ideò ex eo, quod imago non sit maior me, non bene negatur vera adoratio illius etiam cum animo interiori ad eam transeunte.

Respondeo igitur uno verbo imaginem esse posse dignam maiori honore, quàm me, non quidem propter se, sed propter dignitatem exemplaris quarè ut homo se submittat imagini, non debet attendere ad dignitatem imaginis propriam, sed ad dignitatem ipsam exemplaris, & propter ipsam debet adorare imaginem, Hic tamen advertendum est, submissionem internam, quam habemus respectu exemplaris, non haberi eandem circà eius imaginem, ut bene advertit Lugo *n. 36.* nam exemplari nos subiicimus agnoscendo illud esse excellentius, & superius nobis, quam submissionem non possumus respectu imaginis prudenter concipere, imo nec ullam prorsus, qua submittimus nos, illi præferentes illam nobis, quia absolutè loquendo, meliores nos sumus, quà imago S. Petri; quarè prudenter operando debemus nosmetipsos præferre imagini, tanquam dignores, & excellentiores, unde quando hic dicimus in imaginis cultu affectum quoque internum submissionis ferri ad imaginem, non intendimus, quod imaginis adoratio talem internam submissionem includat, qualem habemus respectu exemplaris, rùm ob rationem allatam, rùm quia exemplar colimus, & nobis præferimus propter ipsius propriam excellentiam, imaginem verò colimus cultu respectivo, hoc est propter excellentiam, non ipsius imaginis, sed alterius, scilicet, exemplaris, qui cultus est longè inferior.

Ad ultimum P. Bellutus *disp. 13. num. 83.* cum Lugo *disp. 36.* 269
num. 42. dicunt in adoratione submissionem internam, & debitum solvendi talem submissionem esse inter se distincta; & submissionem internam, inquiunt ad rem adoratam esse de essentia omnis adorationis, non tamen solutionem debiti, ità, scilicet, ut omni rei, quæ adoratur, solvatur debitus cultus; Unde si adoratio est absoluta, tunc submissio animi, & debitum reddendi cultum respiciunt idem obiectum, quia submittit se adorans personæ adoratæ propter suam excellentiam, qua ratione habet persona adorata ius in illam submissionem, at quando adoratio est respectiva, submissio habet distinctum obiectum à debito, debitum enim respicit exemplar, quod propter sui excellentiam habet ius, ut sibi; & suis rebus homines se submittant; at submissio respectiva respicit res propriàs exemplaris, ut sunt imagines, & reliquiæ; & talis submissio utque prudenter terminari potest ad aliquod inferius, & vilius adorante, dummodò hæc propter excellentem superiorem in alio reperiam, ad quem illud vilius dicit habitudinem. Sed quamvis hæc responsio optima sit, adhuc tamen potest aliquo modo concedi, debitum quoque cultum convenire posse creaturæ irrationali ratione alterius, & tanquam objecto materiali; Et cum instat Vasquez neminem nisi amentem, existimare, vel cogitare posse quidquam se debere rei irrationali etiam propter rationalem, sed rationali, solùm Hoc ita intelligendum est, ut nulli irrationali, tanquam rationi formali debeam

cultum solvere, & adorationem deferre, non verò tanquam obiecto materiali; nam profecto certum est me teneri ad alienum equum benè tractandum, verbi gratia, Petri, & illius bonum procurandum, non quidem propter illum; sed propter Petrum; qui est eius Dominus; ità ergò in proposito nos quoque ipsis imaginibus cultum debemus, etiam ut est cultus illarum, non tamen quasi id sit ultimum motuum, sed ut cultus illarum transit in exemplar.

270 Sed instat Vasquez, religio est pars potestativa iustitiæ, sicut & aliæ virtutes, in quibus requiritur ratio debiti ad alterum, ut gratitudo, pietas, atque ita sub iustitia, quæ est ad alterum, includitur ut pars potestativa adoratio, quia in ea includitur aliqua ratio debiti, scilicet, solvere honorem alteri debitum, atqui circa rem inanimatam nulla potest exerceri iustitia; ergo non est capax adorationis, nec ullus cultus est illi debitus in se; & ideò qui adorat imaginem, non exercet aliquam iustitiam erga imaginem, cùm non sit capax iustitiæ, aut æqualitatis, sed servat illam æqualitatem solvendo debitum cum exemplari.

Respondeo hoc argumentum plus probare, quàm velit arguens, nempè imagines revera non adorari; si enim adoratio est pars iustitiæ, & circa rem inanimatam nulla potest exerceri iustitia, consequens est nullam etiam posse exercerì adorationem; quod si adorationem fateatur circa illam exerceri posse, concedendum est etiam posse exerceri iustitiam, vel certè argumentum ex iustitia ad adorationem erit nullum; Quare ad argumentum dico, quod Religio sit pars potestativa iustitiæ, & quod sit ad alterum probare solùm; semper obiectum formale, & ultimum adorationis debere esse personam rationalem, hoc autem non obstat, quod res inanimata possit esse obiectum saltem materiale. Vel dicatur cum Lugo adorationem imaginis esse actum iustitiæ potestativæ, quia re vera peritillum actum redditur ius, quod debet, non quidem ipsi imagini, sed exemplari; nam licet non adoretur formaliter, & in recto exemplar; satisfit tamen iuri, quod habet exemplar ad hoc ut adoretur sua imago; nec enim necesse est, quod æqualitas ponatur cum omni re adorata, dummodò ponatur cum persona, propter quam res adoratur; Et hoc juxta primam viam tam infinuatam n. 269. nam iuxta alteram, sicut non omninò amentis est, ut dicebat Vasquez, aliquem iudicare se aliquid honoris debere equo propter Dominum, nam & communiter proloquium est *reverear Asinum propter Dominum*; ita nec omninò stultum est dicere posse in eodem sensu circa rem irrationale iustitiam exerceri. Sed sive hoc, sive illud dicatur, semperetamen afferendum est, terminationem submissionis interne ad rem adoratam esse de essentia adorationis, neque enim adorare dicor illum, cui per notam externam ostendo me habere interna submissionem circa alterum; neque verò dici potest adoratio, quam nulli præcedit interna submissio, ut quando quis fingit submissionem internam per cultum, & reverentiam externam, quam exhibet.

271 Postremò arguitur contrà quintam conclusionem, in qua diximus adorationem imaginis semper esse inferiorem, & minorem adoratione exemplaris, nam in Synodo 7. actione 4. habetur *non esse duas adorationes, sed unam imaginis, & primi exemplaris*, unde communis sententia est eadem adoratione imagines adorari, qua exemplaria, & unico actu; at hoc verificari non potest si non æqualiter adorantur imago, & exemplar, sed superiori, & nobiliori adoretur exemplar, & inferiori autem imago; nam sic non una, & eadem esset adoratio, sed duæ, quarum altera sit superior, altera inferior.

Respondeo, unam & eandem esse imaginis, & exemplaris adorationem simpliciter loquendo, terminatam tamen ad duos terminos diversos invicem subordinatos, quos denominat inæqualiter adoratos. Neqsad hanc denominationem inæqualem tribuendam opus est duplicare formam, seù adorationem; sed una, & eade n adoratio illos duos terminos potest inæqualiter denominare, nam obiectum materiale universaliter loquendo semper minus amatur, quàm formale, citò ametur per eundem actum; sic actus amoris, quo diligo proximum propter Deum, & ex motivo charitatis, ad utrumque terminatur obiectum, & non utrumque denominat æqualiter amatum, sed in æqualiter, Deum namque denominat amatum super omnia, proximum verò multò minus; Sic etiam è contrà idem submissionis affectus ab illis terminis diversas suscipit denominationes, quæ enus enim tendit in imaginem propter ipsius exemplaris excellentiam dicitur adoratio respectiva; quatenus verò fertur in ipsum exemplar ultimatè propter ipsius excellentiam, dicitur adoratio absoluta, sicut idem amor, quatenus fertur in bonum, quod appetitur, dicitur concupiscentia; quatenus verò fertur in personam, cui, & propter quam appetitur, dicitur amicitia; & idem actus, ut tendit in medium dicitur electio, ut in finem intentio. Et ratio universalis est, quia non repugnat unum, eundemque actum secundum substantiam terminari ad varia obiecta præsertim inter se subordinata, à quibus varias sortiatur denominationes, ut constat tùm ex allatis exemplis, tùm ex visione beata, licet enim beatus eadem indivisibili visione Deum videat, & creaturam in Deo, ut Scotus docet 3. *dist.* 14. *qu.* nihilominus illa visio est beatitudo, prout ad Deum terminatur, non verò prout terminatur ad creaturas si igitur in proposito, quàm vis idem adorationis motus tendat ad exemplar in imagine, & ad imaginem propter exemplar, nihilominus ille actus respectu exemplaris, v.g. Christi est proprie Latria, scilicet, absoluta, quia illud respicit, ut obiectum summè excellens, & per se adorabile: respectu verò imaginis, non erit tam perfecta adoratio sed inferior venratio, quæ dici solet Latria imperfecta, & respectiva, quia illo eodem actu non adoratur, ut summum obiectum, sed ut aliquid ad illud pertinens coadoratur illi.

Dices, saltem in eo casu quo imago simul cum exemplari adoratur per modum unius, & totalis obiecti, tunc adoratio imaginis non est minor, & inferior adoratione exemplaris, quia in eo casu imago quoque adorationem terminat absolutam, ut dictum est n. 244. Respondeo etiam in eo casu aliquam adesse inæqualitatem inter adorationem imaginis, & exemplaris, si non quoad substantiam, saltem quoad modum modo iam explicato n. 260. 272

QUÆSTIO UNDECIMA.

De communicatione Idiomatum inter Deum, & hominem quid sit, & quomodo fiat.

IDiomatum communicatio nomen est ex Patribus Græcis desumptum; quod latinè idem significat, quod mutua prædicatio attributorum divinorum, & humanorum inter Deum, & hominem; Unio enim hypostatica hoc efficit, ut natura humana personæ Verbi immediatè uniatur, & consequenter, ut duæ naturæ in eadem persona Verbi uniantur, ac in ea subsistant; Unde duplex oritur communicatio respectu illius personæ; una duarum naturarum, iuxta quam dicimus Verbum est Deus, & verbum est homo, Deus est homo, & homo est Deus; altera proprietatum, seù attributorum utriusque natiræ, iuxta quam dicimus, Christus est æternus, immortalis, infinitus, & Christus est temporalis, mortalis, finitus; quod ita intelligendum est, ut sit æternus secundùm divinam naturam, & temporalis secundum humanam, & sic de cæteris; Itaque hic videndum est, an ex prædicta unione proveniat Idiomatum communicatio; quæ, & qualis sit, ac tandem quomodo sit exercenda, & pro resolutione quæstionis.

Primò dicendum est, in mysterio Incarnationis ex unione hypostatica naturæ divinæ, & humanæ in eodem supposito oriri veram, ac propriam communicationem Idiomatum inter Deum, & hominem; Hæc conclusio simpliciter, & absolutè loquendo est de fide, & probatur, quia ratione unionis hypostaticæ divinæ, & humanæ prædicata de eadem persona verè prædicantur, & verè, ac propriè dicitur *Deus est homo, & homo est Deus*, ut constat ex Concilio Ephesino, ubi contra Nestorium definitum est Beatam Virginem esse Deiparam, hoc est Dei genitricem, quia nimirum ille homo, cuius est Mater, est verè Deus; Quod etiam ex variis Scripturæ locis confirmari potest, in quibus idem homo Christus appellatur Deus, & ipsemet Dei Filius dicitur homo mortuus, crucifixus, & sepultus, ut etiam habetur in Symbolo Apostolorum. Hinc male Durandus 3. *dist.* 4. *qu.* 2. asserere videtur hanc propositionem *Deus est homo* non esse in rigore veram, seù non esse omninò propriam, sicut est ista *Petrus est homo*, unde ait potius dicendum esse, Deus est humanatus, quàm homo. Et quidem tam propositionem *Deus est homo* esse veram, & propriam probat Doctor 3. *dist.* 7. *qu.* 1. *B.* quia verè, & propriè Verbum est homo; ergò verè, & propriè, Deus est homo, probatur assumptum, suppositum subsistens in aliqua natura, ut suppositum naturæ, dicitur tale formaliter secundum illam naturam, creditum est autem talem esse istam unionem, quod per eam Verbum subsistit in natura humana, ut suppositum in natura; ergò per eam Verbum formaliter verè, & propriè est homo; Consequentia verò probatur, quia quando prædicatum convenit inferiori verè, & propriè, convenit etiam superiori, & communi, licet non primò, & immediatè; sed mediatè; ergò si prædicatum *homo* convenit formaliter, & propriè Verbo ex vi unionis hypostaticæ, quod se habet veluti inferius, convenit quoque Deo, qui se habet ad modum superioris, & communis.

Sed Obiicies cum Durando, ubi est maior identitas inter præiudicatum, & subiectum, est maior veritas, & proprietas prædicationis: at maior identitas est propter Petrum, & hominem, quàm inter Deum, & hominem: ergò &c. Minor patet, quia Petrus per eandem naturam est homo, per quam etiam est Petrus, unde est in primo modò, at Deus non est Deus per naturam humanam. Confirmatur, quia de Petro dicitur homo per se, & essentialiter, de Deo autem quasi denominative; 274 275

ergo

ergo non tam propriè. Tandem Deus dicitur propriè humanatus, ergo non ita propriè dicitur homo, quia idem terminus substantialis non potest utroque modo, & æquè propriè prædicari de eodem subiecto; antecedens est Damasceni, & aliorum Patrum.

Respondeo negando maiorem, quia tam verè, & propriè Petrus dicitur risibilis vel albus, si vere est albus, quam homo, utrùque enim dicitur absquè ulla improprietate, vel metaphora, quamvis homo sit magis idem Petro, quàm risibile, & album; unde falsum est absolutè loquendo maiorem identitatem inferre maiorem veritatem, & proprietatem prædicationis, sed solùm inferre potest maiorem necessitatem inhæreatiæ prædicati cum subiecto. Ad Confirmationem quicquid sit de antecedente, de quo infrà, negatur pariter consequentia, si enim propositio servet propriam terminorum significationem, & debitam habitudinem, potest esse propositio omninò propria, & in quacunque qualitate propositionis, unde tam propria est hæc *homo est albus*, sicut hæc *homo est animal*, quamvis hæc sit essentialis, & in materia necessaria, illa verò denominativa, & in materia contingenti. Ad ultimum respondet Doctor, & cum eo Cardinalis de Lugo, & alii passim, negando, Deum dici posse propriè humanatum, si *humanatum* sit adiectivum ab humanitate, & non participium è verbo *humanor*, quo quidem modo sumitur à Damasceno, & alii Patribus, cum Deum dicunt humanatum in Incarnatione; alia argumenta soluta, vide apud Aretinum 3. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 5.

Secundò dicendum est, hanc communicationem idiomatum non consistere, in reali communicatione attributorum divinitatis facta humanitati, & è contrà, ut quidam Hæretici commiscuntur, itaut omnipotentia, omniscientia, æternitas, &c. verè insint ipsi naturæ humanæ, ipsamque formaliter denominent, & è contrà, quod divinitas habeat in se proprietates humanitatis. Hæc etiam est de fide, & probatur, quia indè sequeretur unam naturam esse conversam in aliam, & vnionem factam esse in natura, quia facta esset in attributis divinis, quæ sunt divinæ naturæ proprietates; at fides docet unionem hanc naturarum factam esse tantùm in persona, & ambas naturas remansisse impermixtas contra Eutychen.

Confirmatur, quia unum attributum nequit sine alio communicari, nam quodlibet attributum intrinsecè aliud includit, nec est maior ratio de communicatione unius, quàm alterius; at nequit humanitas esse actus purus, independens, æterna, & similia, quia humanitas componitur essentialiter ex anima, & corpore; habet esse à Deo, & ab eodem conservatur; & in tempore fuit producta; ergo &c. Vera itaque communicatio idiomatum, quæ ex mysterio Incarnationis oritur, tantum in hoc consistit, ut ratione illius unionis divina, & humana prædicata de eadem persona verè prædicentur, quæ ratione dicimus, quod homo est Deus, æternus, infinitus &c. & è contrà Deus est mortalis, cuius rationem assignat Doctor *loc. cit.* quia quandò duæ formæ, vel naturæ verè, & realiter in eodem uniuntur supposito, de eodem verè prædicari possunt, ut in formis accidentalibus constat; calor enim, & albedo, si eidem supposito insint, v. g. Petro, de eodem prædicantur, unde fit, ut hoc album v. g. nix dicatur frigidum; & è contrà; sed in hoc mysterio duæ naturæ uniuntur substantialiter eidem supposito; ergo nomina illas naturas significantia in ordine ad suppositum, ut sunt homo, & Deus, verè prædicabuntur de eodem supposito, cuinaturas ipsas applicant, ipsumque in illis subsistere significant; Ex quo fit ut unum de altero inter se verè prædicetur, quod per syllogismum expositorium facilè colligitur sic arguendo, si Christus est homo, & Christus est Deus, ergo homo est Deus. 273

276 Sed Obiicies testimonia Scripturæ, & Patrum dicentium maiestatem, & gloriam divinitatis, aut efficaciam, & divina attributa fuisse humanitati communicata, ut ad Colosf. 3. *in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, & Matth. 11. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Confirmatur quia fuit naturæ humanæ communicata subsistentia; ergo & alia attributa. Tandem, quia aliàs sequeretur hanc Idiomatum communicationem non esse veram, & realem, sed solùm quadam verborum denominatione consistere.

Respondeo, cùm dicitur in Scriptura habitare in Christo omnem plenitudinem divinitatis, sic est intelligendum, quod sicut Christus est verus Deus, & verus homo, opus est, quod sicut in ipso est plenitudo humanitatis, idest, natura humana cum suis proprietatibus, & attributis, sic etiam sit plenitudo divinitatis, idest, divina natura cum suis, & ly *corporaliter* idem significat, quod verè, & substantialiter, sic enim divinitas reperitur in Christo, & non participativè tantùm, sicut in aliis iustis; Item intelligi debet, quod omnes divinæ perfectiones fuerunt humanitati Christi communicatæ, non quidem immediatè, & formaliter, sed mediatè, & consequenter ratione, scilicet, suppositi, in quo ipsa humanitas reperitur; neque ex hoc sequitur fieri posse verè, & propriè prædicationes in abstracto ratione istius identitatis suppositi, nam in statu obstractionis ab hac identitate fit abstractio, ut dicemus.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia unio non fuit immediatè facta ad naturam, sed ad personam, & ideò immediatè & per se recipere nequit humanitas prædicationem divinorum attributorum, sicut recipit prædicationè subsistentiæ, sed tantùm mediatè, & concomitanter per idiomatum communicationem ratione unitatis suppositi, in quo divina, & humana natura subsistunt. Ad ultimum negatur consequentia, quia cùm per illas locutiones significetur vera, realis, ac substantialis unio naturarum in eodem supposito, ac eandem esse personam, quę utramque naturam operatur, dici nequibit talis communicatio in solis consistere verbis, sed veram, ac substantialem unionem duarum naturarum indicabit in eodem supposito absque earum permixtione.

Tertiò dicendum est, prædicata propria unius naturæ, non posse de altera in abstracto, vel etiam in concreto cùm reduplicatione prædicari; at prædicata propriā utriusque naturæ in concreto sumpta, & sine reduplicatione prædicari possunt de eadem persona, & etiam adinuicem in concreto. Hæc conclusio tres habet partes, & quoad omnes, & singulas fatis communis est, ac frequens in scholis. Ratio primæ partis est, quia prædicatio cum sit quædam identitas sequitur unionem; cùm igitur naturæ inter se non fuerint immediatè unitæ, sed in supposito; sequitur, quod in abstracto sumptæ, quo pacto à supposito præscindunt, nequeunt de se invicem prædicari, nec proprietas unius de proprietate alterius, & ideò non valet dicere, Deitas est humanitas, vel Deitas est homo, vel humanitas est Deus, immensa, omnipotens, &c. quia concreta divinitatis non insunt humanitati in abstracto sumptæ, sed soli insunt divinitati, & ideò non possunt de humanitate ita sumpta prædicari. Ratio alterius partis est, quia reduplicatio significat id suprà quod cadit, esse rationem formalem, cur prædicatum conveniat subiecto; at divina natura non est ratio, ut Christo convenant attributa humana, neque natura humana est ratio, cur illi attribuantur divina; ergo attributa divinæ naturæ etiam in concreto tribui nequeunt Christo, ut homini cum reduplicatione; nęc proprietates naturæ humanæ possunt Christo tribui, ut Deo, cum eadem reduplicatione; quarè dicere non valebit, Christus, ut homo, est æternus, creator, &c. Christus, ut Deus, est passus, mortuus &c. Ratio tandem tertiæ partis est, quia licet nomina creata substantiva distinctè significent formam, in confuso tamen significant subsistentiam, seù suppositum; Cùm ergo in Christo sint duæ naturæ in uno, ac eodem supposito, indè fit, ut omnia, quę conveniunt uni naturæ possint attribui alteri in eodem supposito; Tum quia eadem est persona in utraque natura; cum ergo per concreta semper appelletur suppositum, talia enim dicuntur, quia suppositum concernunt, & divinum suppositum sit sub utraque natura, ac earum attributis, omna iste prædicationes valebunt; Verbum est Deus, Verbum est homo; Homo est Deus, & Deus est homo; Christus est mortalis, Christus est immortalis, & similes, verificantur enim de Christo ratione duarum naturarum in eadem persona subsistentium. 277

Notat tamen Doctor 3. *dist.* 7. *q.* 2. in fine ab his regulis de cōmunicatione idiomatum excipienda esse prædicata, quę exprimunt unionem naturę ad personam, undè non valet dicere Deus est subsistens in utraque natura, Deus est terminus resultans ex unione mutatus est, quando factus est homo, & similes; ratio est, quia hęc communicatio fit propter unionem, ideoque eam supponit, ut effectus causam. Hęc in generali sufficiant pro intelligentia communicationis Idiomatum inter Deum, & hominem in Christo ratione unionis duarum naturarum divinę, & humanę in eodem supposito: Verùm quia aliquę propositiones solent formari de Christo sub nominibus naturarum divinæ, & humanę, & quędam secundum nomen proprium ipsius Christi, quę peculiares continent difficultates, illas examinare non erit inutile in articulis sequentibus istius questionis.

ARTICULUS PRIMUS.

Examinantur propositiones de Christo formatæ sub nominibus tum naturarum divinæ, & humanæ.

PRimò dubitatur, an hæc propositio, Deus est homo, vel Verbum est homo, sit prædicatio formalis, vel identica, hoc est, an homo in hac prædicatione supponat pro natura humana, vel potius pro supposito Verbi. Aliqui apud Scotum *dist.* 7. *cit. quæst.* 1. §. *tertio videndum*, dixerunt hominem hic supponere pro supposito Verbi, ut idem sit rectum prædicati cum recto subiecti, adeout sit prædicatio per identitatem innuendo talem implicationem, Verbum est suppositum, quod est homo; quem dicendi modum sequuntur Hurtadus *disp.* 69. *sect.* 3. Lugo *disp.* 23 *sect.* 1. & Alii Recentiores; Fundamentum est quia si homo significatet naturam in supposito, & non potius 278